



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

53. An si quis prouocet aliquem ad duellum; se conferens postea ad
præfixum locum & præfixo tempore, ibique frustra expectato inimico
discedens, incidat in censuram Bullæ Gregorij XIII? Et quid est ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

in ref. 62.
per totam,
in ref. 64.
ule. cursum
ad medium.

cationem, dummodo duellum, vel actus ad pugnam proximus secutus non sit. Ita ego olim consului contra Peregrinum *quest. 37.* Imò puto cum Lessio *lib. 10. cap. 4. dub. 11. num. 83.* & Sfortia in *Bull. Pont. epitome 153. theorem. 392.* spectantem ex occulto duellum non incidere in excommunicationem, quod etiam Riccius in *praxi tom. 3. ref. 42. num. 20.* Scortia cum Reginaldo, & Sanchez tenent de transeunte obiter, & aspiciente duellum, cum non sit spectator, ex industria, & ex proposito.

Sup. hoc in
Ref. not. seq.
& in eodem
§. post me-
dium.

5. Dico quintò, quòd qui narrat aliquod factum ex qua narratione prævitet aliquos, qui rem illam intellexerunt, arrepturos occasionem provocandi se ad duellum, non incurrere in excommunicationem, quiddam asserat Peregrinus *quest. 27.* & ita docet Bonacina *num. 32.* & ita ego olim in casu contingenti determinavi cum consensu Doctorum virorum; nisi hoc faciat, ut eos ad duellum incitet. Et ratio nostra sententiæ contra Peregrinum est, quia ista actio in Bulla Clem. VIII. non exprimitur, & penæ non sunt extendendæ ultra verborum significationem. Ergo, &c.

Sup. hoc in
fra in Ref.
64. §. ult. ad
medium.

6. Dico sextò, audientes, vel legentes scripta, in quibus aliqui se provocant ad duellum, minime nexu excommunicationis vinciri. Et ita ego olim consului contra Peregrinum *quest. 28.* & adducebam Comitolum *lib. 6. cap. 14. num. 7.* & rationes *suprà* adductas, quia hoc in Bulla non exprimitur, & quia odia non sunt amplianda.

Sup. hoc ibi-
dem paulo
post medium
dicti §.

7. Dico septimò, quòd qui ratam habet provocacionem, vel pugnam, vel aliam actionem in Bullis Pontificiis expressam, suo nomine factam; non incidit in excommunicationem; ita Floronus *cap. 14. §. 3. num. 1.* quiddam asserat Peregrinus *q. 31. num. 3.* quia Pontifices dum volunt penam ad ratihabitionem extendere, hoc solent exprimere; adde quòd ratihabitionem non comparatur mandato in penis, nisi exprimitur. Ergo, &c.

Sup. hoc in
Ref. seq. in
principio.

8. Dico octavò, cum qui præmissa ob duellum provocacione contulit se ad locum constitutum, & alio non comparente discessit, minime in excommunicationem Gregorij XIII. incidisse puto, & ita contra Peregrinum *quest. 45.* tenet Scortia in *Bulla Pontif. epitome 155. theorem. 392.* & alij penes ipsum, quibus ego addo Megalam in *tertia part. lib. 4. cap. 4. quest. 2. num. 11.* Ioan. Franciscum Suarez in *enchiridio casuum conscientia lib. 7. verb. duellum.* Naldum in *summa verb. duellum, n. 6.* & Riccius in *praxi tom. 3. resol. 52.*

Sup. hoc in
fra in Ref.
58. §. ult. &
in alio ejus
not.

9. Dico nonò, quòd Peregrinus *quest. 33.* docet duellum consulentem incurrere in excommunicationem, etiamsi consilium non sit efficax, vel influat in effectum; sed contraria sententia probabiliter sustineri potest, ut notat Bonac. *n. 28.*

10. Dico decimò, consulentem duellum non incidere in excommunicationem, etiamsi conatus fuerit influxum consilij revocare, sed reipsa non revocaverit; scio Bonaciam *n. 36.* contrarium docere, sed tu probabiliter nostram sententiam sequi potes.

11. Dico undecimò, quòd si incontinenti orta inter aliquos sit rixa, unusque alterum iracundia motus ad dimicandum in certo loco invitet, & incontinenti ibi dimicent, non incurrunt in excommunicationem. Ita Flavius Cherubinus in *Bulla Pontif. tom. 3. constit. 11. Clement. VIII. schol. 1.* qui citat Ludovicum Lucensem, Farinacium, & Tuschum, quibus ego addo Ioannem Franciscum Suarez in *enchiridio casuum conscientia lib. 7. verb. duellum,* & Riccius in *praxi tom. 3. resol. 51.* Item ait Graffius, diffidentes se ad pugnam in aliquo loco, quò statim tendunt, & pugnant ibi, non incidere in excommunicationem,

quia non adest assignatio temporis. Ita ille in *praxi lib. 1. cap. 7. n. 22.* & Ioan. Franciscus Suarez *ubi supra,* sed probabilior est contrariarum sententiam asserit Bonacina loco citat. *num. 7.*

12. Non reticeam hic adnotare, quòd secundum Layman in *Theologia moralis lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 3. num. 3.* in duobus casibus duellum damnari non potest, videlicet, si miles in exercitu, vir equestris in aula Regia officio, & dignitate exidere debeat ob ignavia, ac timiditatis notam, nisi identidem provocanti se sistat; vel si quis ab iniustis convitiis, nisi cum provocante congrediatur. Hæc Layman; an verò probabiliter, aliis judicandum relinquo, militum enim non placent, ex his quæ adducit Reginaldus *tom. 2. lib. 21. cap. 7. num. 80.*

13. Nota secundò, contra Megalam in *3. part. lib. 4. cap. 4. quest. 2. num. 13.* & Salonium in *2. 2. 9. 64. art. 3. contr. 3. concl. ult.* posse Principem in casu extraordinario ad majora vitanda mala duellum permittere; & ita docet Scortia in *Bulla Pontif. epitome 153. theorem. 392.* qui citat Sanchez, Valentiam, Cajetanum, Sà, & Navarum, quibus ego addo Reginaldum *tom. 2. lib. 21. cap. 7. num. 73.*

14. Et tandem nota tertio pro coronide huius resolutionis, quòd novissimè Franciscus Metrola in *de in fine sunt. Theol. tom. 1. disp. 2. cap. 4. dub. 10. concl. 3. n. 30.* asserit. Quantum ad scripta provocantia ad duellum, si loquamur de famulis scribentibus tantum, & erga non deferentibus: existimo posse dari casum, in quo licitum sit famulis ea scribere, ut si alius eis immineret periculum mortis, vel alterius gravis nocuenti. Si verò de famulis ea scripta scienter deferentibus sermo sit, est valde probabile, id ita esse inordinatè malum, ut in nullo casu liceat, quavis oppositum non sit improbabile. Ita ille. Et hæc dicta sufficiant circa præsentem materiam duelli, alias quæstiones ex industria relinquimus, quia non ita in praxi facillè occurrere solent.

RESOL. LIII.

An si quis provocaret aliquem ad duellum, se se confiterens posita ad præfixum locum, & præfixo tempore, ibique frustra expectato inimico discedens, incidat in censuram Bullæ Greg. XIII.

Et quid est dicendum, si aliquis offensum à N. illum provocavit ad duellum, certo in loco, &c. non tamen debebat animum pugnandi, & certo sciebat pugnam non sequituram, quòd amici utriusque hoc impedissent, an in tali casu incidat in excommunicationem prædictæ Bullæ?

Et alij tres casus cursim attinguntur pro materia duelli. Ex part. 2. tractat. 16. & Miscell. 2. Resolut. 55. alias 55.

§. 1. **H**ic casus frequenter solet accidere: & asserit motivam sententiam docet Peregrinus *tra. de duello q. 41. per tot.* sed mihi contraria opinio placet, & ita tenet Comitolum, Delrius, & Sanchez, quos citat, & sequitur Scortia in *Bulla Pont. epitome 155. theorem. 392.* quibus ego addo Megalam in *3. part. lib. 4. cap. 3. n. 11.* Notandum est obiter pro hac materia de duello, excommunicationem incurrere, si quis diceret: Vade quæsitum gladium, hic te expecto, vel, Veni ad talem locum, te ibi expecto; vel si existens in navi, vel alibi dicas, Egrediamur in terram, vel foras, te expecto in tali loco; vel quique nostrum abeat quæsitum enssem, in tali loco mori pugnaturi; secus si quis offensus dicat offendenti. Distin.

Districte ensem, tecum enim pugnare volo. Sed non gravabor hic apponere casum, de quo olim interrogatus fui. Quidam offensus ab N. illum provocavit ad duellum, certo in loco, &c. non tamen habebat animum pugnandi, & certo sciebat pugnam non sequitur, amici enim utriusque hoc impedissent, sed hoc efficiebat ad satisfaciendum honori laeso. Respondi tunc supradictum non incurrisse in excommunicationem; & ita docet in strictiori casu Filliuc. tom. 1. tract. 1. §. cap. 5. num. 113. nempe etiam si venirent in locum designatum, sed amici utriusque istos confectos recipere in se, dummodo prius duellantes de hoc securi essent, & animum pugnandi non haberent. Sed ad alia transeamus.

RESOL. LIV.

Virum duellatores, oblato, & acceptato duello incidant in excommunicationem, si pugna postea non sit secuta? Ex part. 5. tract. 14. & Misc. 2. Resol. 102.

§. 1. Frequentissimus est casus, & ad illum affirmativè respondet Filliucius tom. 2. tract. 29. cap. 8. num. 170. usque ad num. 176. ubi conatur ex multis rationibus hanc sententiam firmare, & ita ait esse praxim sacre Penitentiariæ, & stylum Curie Romanæ. Vide Bonacinum de censuris, disp. 2. quest. 6. punct. 1. num. 41. ubi tenet prædictos incurrere penas Bullæ Gregorij XIII. Vide etiam Peregrinum tract. de duello, §. 4. num. 4. & 7. in fine, & §. 41. per totam, cum Luca Florono tractat. de duello, cap. 1. §. 1. num. 3. & cap. 3. §. 1. num. 14.

2. His tamen non obstantibus Hurtadus de Mendoza in 2. 2. disp. 170. sect. 21. §. 190. firmat duellatores non incurrere penas Bullæ Gregorij XIII. oblato duello, & acceptato, si pugna non committatur. Et hoc etiam esse verum in terminis Bullæ Clementis VIII. probat postea in §. 196. ubi sic ait. De ipsis duellatoribus oritur gravior controversia, ut non ipsi contrahant has penas duello oblato, & acceptato, quamvis pugna non fuerit commissa. Et respondeo pugna non commissa re ipsa, & de facto, duellatores minime esse excommunicatos, quia Gregorius XIII. eos non comprehendit nisi pugna secuta. Sed Clemens VIII. in hac re nihil innovat: ergo. Minorem jam probō de provocato, ait enim §. 1. ex condito ad generale certamen descēdat, aut ad illud provocet. Itaque provocatus præstringitur lege, si descendat: descendere autem plus est, quam accipere duellum, est enim perinde apud Latinos in arenam descendere, ac pugnare: provocare enim in arenam, est provocare ad pugnam, accipitur enim locus pro actione in eo exercenda. Unde gladiatores appellabatur Arenarii, quia pugnabant in circo arena conspersa. Cum igitur Pontifex agens de provocato requirat descensum in arenam, in sensu dicto est accipiendus in lege penali, neque alibi iterum agit de provocato, pugna non sequitur. Secundō probatur in provocatore, nullibi enim conjungitur duellatori provocanti excommunicatio, pugna non sequitur. Imō quoties duellatorum meminit Clemens, ait, Duellum ex composito ineuntes, ut constat ex §. 7. ubi ipse addit excommunicationem de novo. Ex quo §. explicanda est tota Bulla, ob quod quando §. 5. dixit ad singulare certamen descendat, aut ad illud provocet, intelligitur juxta §. 7. ubi suam de novo adjicit censuram, nempe provocet existens in arena, iniēnsque certamen; pugnantes enim tam provocatorem, quam provocatum excommunicat, ad quod usus est illa distinctio inter defendentem, & provocantem, id est inter pro-

vocatorem, & provocatorem, neque enim provocatio passiva aliquem excusat ab excommunicatione, quamvis aliquam excusationem videtur habere, quam non habet provocator. Denique quando passiva infligitur propter delictum, non contrahitur delictum non consummato, nisi exprimat a Legislatore, qui enim imperat homicidium, irregularis est, si homicidium sequatur, non secus: sed excommunicatio hæc determinatur propter monomachiam, & in ipsis monomachis non explicatur ejus vis, monomachia etiam non secuta: ergo non contrahitur excommunicatio, nisi monomachia secuta. Ita Hurtadus ubi supra, qui per alios §. 5. subseqentes usque ad 201. responderet ad omnia argumenta Filliucij, & aliorum, & ad stylum Curie dicit, quod facit legem, quando habet aut formale, aut virtuale præceptum Pontificis, non verò quando illud non habet. De præcepto autem in hoc casu nihil nobis constat, nec verò est insuetum iudicibus pauca negotia respicere. Ergo, &c. Verum an supradicta sententia sit probabilis, aliis judicandam relinquo, mihi enim magnam vim affert, et si vera esset praxis sacre Penitentiariæ, & stylus Curie Romanæ.

RESOL. LV.

An in aliquo casu vir Nobilis possit sine peccato acceptare duellum? Ex p. 5. tract. 14. & Misc. 2. Resol. 99.

§. 1. Casum excogitavit, qui facile potest evenire in praxim, doctus Hurt. de Mend. in 2. 2. tom. 2. disp. 170. sect. 13. §. 106. ubi sic ait: Pone hominem nobilem ab alio provocari ad duellum, qui si illud recuset, non censetur illud recusasse propter legem Dei, sed propter timiditatem, quia non bene audit de observatione legis, quia se facile projicit in alia peccata, vel certe alia ex causa censetur timidus, & ab aliis despicietur, apud quos semper erit inglorius, ex quo non levia damna & incommoda sequerentur. Est igitur, quæstio, utrum in hoc casu possit provocatus exire in locum conditum, non cum absoluta voluntate pugnandi, sed cum conditionata, si à provocatore prius petatur injuste: Provocati autem absoluta voluntas est tueri opinionem viri fortis & depellere infamiam timiditatis, quæ obiecta per se sunt honesta & necessaria viro nobili ad degendam vitam decore inter suos, præcipue militi, qui ab exercitu censetur esse gallina, & non vir; media autem, quæ elegit ad hunc finem, sunt indifferentia ad bonum & malum; nempe; egredi in agrum, & in eo inambulare, quæ media honestantur ab eo fine. Hæc absolute vult provocatus. Pugnare autem non vult, sed si ab alio petatur injuste, vult sub ea conditione se inculpate tueri armis, si alia ratione commodè non possit. In hac occasione videtur provocatus minime peccare, neque acceptare duellum, quia acceptatio duelli est voluntas deliberata, seu absoluta, quæ iste homo caret. Item omnia, quæ vult absolute, sunt licita ex se, finis item amatur licite, quia nihil mali eligitur, neque ex parte finis, neque ex parte mediorum, quia hæc sunt egressus in agrum, & in illo inambulare: quæ autem amantur conditionate, sunt etiam honesta, amat enim sub conditione defensionem inculpata per eadem aggressoris injuri, quando fit medium unicuique ad propulsandam violentiam injustam. Solùm potest esse difficultas, quia provocatus videtur esse provocatori causa ruina, quia cum provocatum viderit in agro, illum aggredietur injuste, quod non faceret provocato non comparente. Respondeo me non esse causam per se illius ruina, quæ per se oritur à sola malitia provocantis. Provocatus enim

Sup. hoc in
Ref. seq. & in
alio §. ejus
not. 2.

D non.